



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Art. 5. Vtrum quis ex privilegio superioris possit alteri confiteri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

Respondeo, Negando Subsumptum: locus enim iste intelligendus est pro ratione materiæ, cui applicatur. Ibidem enim datur etiam Apostolis plenissima potestas in peccata omnium fidelium, absque aliâ humanâ concessione. Non tamen voluit Dominus idem intelligi de omnibus sacerdotibus. Idcirco enim dedit Ecclesiæ Spiritum sanctum, qui eam docuit quemadmodum Christi verba essent intelligenda.

D V B I V M VII.

Virum omnes Sacerdotes habeant plenam potestatem in peccata mortifera, aliâs ritè confessa?

²¹ **S** Otus supra negat: eò quod hæc peccata per se sunt materia necessaria.

Affirmatur contra Sotum.

Dico Primò: Longè probabilius est, omnes habere plenam potestatem in peccata mortifera, aliâs ritè confessa. Tenet Nauar. cap. 4. nu. 5. Caietanus in Summa, Verbo *Absolutio*, & alij passim.

Dico Secundò: Probabilius etiam est, hanc potestatem esse ex Iure Diuino, ita vt non requiratur concessio Ecclesiæ. Tenet Ruardus, Canus, & alij iam citati. Ratio eadem est, quæ de venialibus. Nec refert, quòd per se sint materia necessaria: quia postquam semel sunt ritè confessa, desinunt esse necessaria, & transeunt in materiam liberam.

D V B I V M VIII.

Virum quiuis Sacerdos possit absolvere quemuis fidelem in articulo mortis?

²² **R** Espondeo & Dico Primò: Potest quiuis sacerdos quemuis fidelem absolvere in articulo mortis. Est communis Doctorum, habeturque ex Capitulo, *Pastoralis officij*; Titulo de Officio Iudicis ordinarij. Et ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 7. in *Ecclesia Dei*, inquit, *custoditum semper fuit, vt nulla in articulo mortis sit casuum reservatio; argue ideo omnes sacerdotes quoslibet penitentes à quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt.* Vnde sequitur, etiam *præcis* non toleratis, id est, qui per sententiam sunt damnati, excommunicati, suspensi, aut interdicti, vel qui sunt notorij percussores Clerici, competere tunc istam potestatem, quamuis id quidam negent. Nam de omnibus omnino Sacerdotibus loquitur Concilium, nemine excepto. Tenet hoc D. Thomas hac qu. art. 6. (quamuis in 3. p. q. 82. art. 7. ad 2. excipiat hæreticos & schismaticos, dicens, Non posse hæreticos & schismaticos in articulo necessitatis alia Sacramenta, quàm Baptismum, ministrare.) Sed etiam his conceditur Sacramentum Pœnitentiæ. Idem docet Canus Relect. 8. Caietanus Verbo *Absolutio* §. *necessitas*. Ruardus art. 3. vbi pro hac sententia citat Siluestrum, Paludanum, & Capreolum. Denique Nauarrus c. 27. num. 272. cap. 27.

Affirmatur

Dico Secundò: Etsi probabile sit, Iure Diuino in hoc articulo omnes habere hanc potestatem: tamen probabilius est non haberi nisi tacitâ concessione Ecclesiæ. Prior pars probatur, Quia id absolutè tenet Ruardus supra, Durandus, Capreolus, Paludanus & Melchior Canus. Nec quidquam videtur ob stare, quod eam faciat improbabilem.

²³ **H**æc potestas est iuris diuini.

Dico Tertio: Probabilius etiam est, hanc potestatem esse ex Iure Diuino, ita vt non requiratur concessio Ecclesiæ. Tenet Ruardus, Canus, & alij iam citati. Ratio eadem est, quæ de venialibus. Nec refert, quòd per se sint materia necessaria: quia postquam semel sunt ritè confessa, desinunt esse necessaria, & transeunt in materiam liberam.

Alteram tamen partem videtur verior, quam tenent ceteri ferè omnes Doctores, Sotus, Ioan. Medina, Nauarrus, & alij. Probatur: Quia Confessio peccatorum mortalium est necessaria: ergo sicut iure Diuino non est relicta libertas ea cui libet confitendi, dum sani sumus; ita neque dum sumus in articulo mortis. Neque verendum est, ne Ecclesia tunc malignè nolit concedere, quia regitur à Spiritu sancto: sicut nec verendum est, ne denegat absolutionem ab excommunicatione infirmo ritè disposito, sine quâ absolutione non potest absolui à peccato.

Verosimilius est in iuris Ecclesiastica.

D V B I V M IX.

An eandem potestatem habeant omnes Sacerdotes in periculo mortis: vt, dum instat prælium, periculosa tempestas, partim periculosa?

²⁴ **R** Espondeo: Omnes habere. Vt rectè Siluester Verbo *Confessor*, i. qu. 6. puncto, 7. & Nauarrus supra cap. 26. nu. 26.

Affirmatur

Probatur Primò: Quia Canones non distinguunt inter *Articulum mortis*, & *periculum*, vt patet in Capitulo, *Eos qui*, de Senten. excommunicat. in 6. vbi *Articulum mortis* dicitur, quod paulò post vocatur *periculum*.

Articulus & periculum mortis videntur pro idem sanè

Secundò: Priuilegia in materia fauorabili sunt amplianda, quamuis in odiosa sint restringenda: ergo hæc nomina in sua generali significatione accipienda sunt. Tertio: Quia si esset expectandus ipse articulus mortis, v.g. quando iam anima est exitura, vel quando nauis iam submergitur, plerique huiusmodi sine absolutione morerentur.

Notandum tamen est, eum qui in articulo vel periculo mortis fuit absolutus à censuris Superiori reseruatis, si euaserit, teneri primâ communitate sistere se Superiori; non quidem vt rursus absoluaatur, sed vt mandatis eius pareat. Ita præcipitur Capit. *Eos qui*, supra citato. Alioquin nisi id fecerit, reincidit in eandem excommunicationem, vt ibidem habetur.

Absolutus tunc à censuris.

Qui autem absolutus fuit tantummodo à censuris reseruatis, non habentibus annexam censuram, non tenetur se sistere, nec amplius confiteri: nullum enim Ius id statuit. Vide Nauarrum cap. 26. num. 26.

Absolutus à censuris.

ARTICVLVS IV.

Virum necesse sit confiteri Proprio Sacerdoti?

ARTICVLVS V.

Virum quis ex priuilegio Superioris possit alteri confiteri?

²⁵ **N** Otandum est, In decreto Concilij Lateranensis, *Omnis vtriusque sexus, vocari Proprium Sacerdotem*, Vel eum cui ex officio incumbit cura animarum, habetque Iurisdictionem ordinariam; qualis est Papa ad totam Ecclesiam, Episcopus ad suam Dioccesim, & Parochus ad suam Parochiam, Prælati Ordinum ad Religiosos sibi subditos, Decani ad suos Canonicos. Ita Sotus

Quis dicitur Proprius Sacerdos, cui sit confitendum.

Sotus d. 18. q. 4. art. 2. & Ioan. Medina cod. de Confessione, qu. 29. multiq. alij. Vel certe directe & proprie eum vocari proprium Sacerdotem, qui est Parochus. Sed à maiori idem censendum relinqui de superiore Parochi, Episcopo scilicet & Pontifice, à quibus Parochus habet suam Iurisdictionem. Hoc posito,

26 Respondeo: Certum esse, omnes teneri confiteri proprio Sacerdoti, vel alteri cum eius licentia, saltem tacita. Patet: Quia omnes tenentur confiteri, vel suo Parocho, & immediato superiori: vel superiori mediato, vt Episcopo, vel Pontifici: vel certe ei, qui ab aliquo horum potestatem habuerit. Et hoc est, quod expressè præcipitur in Capit. *Omnis vtriusque sexus*: & colligatur ex Conc. Florent. vbi dicitur, *Ministram huius Sacramenti esse Sacerdotem habentem Iurisdictionem ordinariam vel delegatam*: & ex Tridentino sess. 14. cap. 7. vbi dicitur, *Absolutionem esse nullius momenti, quam Sacerdos in eum profert, in quem non habet Iurisdictionem ordinariam vel delegatam.*

D V B I V M I.

Utrum ratihabitio proprii Sacerdotis sufficiat, vt subditus possit alteri confiteri?

27 Respondeo & Dico Primò: Non sufficere ratihabitionem futuram, seu spem ratihabitionis futuræ: contra Capreolum & Paludanum. Est sententia communis. Ratio est, Quia requiritur præsens Iurisdictione completa, cum sit actus iudicialis, significans effectum suum cõferri in præsentem, & absolutè. Neque hinc locum habet illa regula Iuris; *Ratihabitio retrotrahitur & mandato equiparatur*: quia hoc tantum verum est in ijs, quæ possunt pendere à consensu futuro, vt contractus & similia; non autem in Sacramentis, præsertim ijs, quæ absolutè & in præsentem operantur, & omnia necessaria requirunt in præsentem.

28 Dico Secundò: sufficit tamen ratihabitio præsens aliquo signo exteriori ostensa: v. g. si aliquando indicauerit sibi gratum fore, vt audiam confessiones. Ratio est, Quia tali modo potest confertur præsens Iurisdictione. Dixi, *Aliquo signo exteriori*; quia humano more non potest confertur Iurisdictione per actum internum; sicut nec donatio, & alia huiusmodi: quia ab altero non possunt percipi.

D V B I V M II.

An Parochus, seu Proprius Sacerdos teneatur semper audire suum subditum, quando ille vult confiteri?

29 Respondeo: Certum est; illum teneri toties audire, quoties alter tenetur confiteri. Potest tamen alium idoneum suo loco constituere.

Alijs verò temporibus quidam putant non teneri sub mortali eam audire. Ita Siluester Verbo *Confessor*. 1. q. 18. Richardus d. 18. art. 2. qu. 3. & Ioan. Medina. qu. 37. Sed omnino tenendum est Parochum teneri, quotiescunque subditus ob rationabilem aliquam causam vult confiteri. Ita Nauarrus in Canon. *Placuit*, de Pœnit. d. 6. nu. 152. Dominicus Soto, Adrianus, & alij. Probatum Primò: Quia Parochus ex officio tenetur non impedire profectum spirituale suorum

Teneri semper, quando subditus rationabiliter vult confiteri.

subditorum; atqui impediret, si nollet illos audire. Secundò: Quia fideles habent à Christo ius petendi ab Ecclesia salutis remedia, non solum præcisè ad salutem necessaria, sed etiam vtilia ad profectum: ergo Ecclesia tenetur eis illa administrare, & consequenter Parochus, qui in hoc est immediatus Ecclesie minister. Tertio: Quia fideles persolunt decimas & stipendia Ecclesie, non solum vt præcisè necessaria ab ea accipiant, sed etiam vt conducibilia ad salutem: ergo ex iustitia tenentur Parochi.

Quæritur, Utrum Proprius Sacerdos, vel Parochus teneatur subdito facere potestatem confitendi alteri non habenti in illum Iurisdictionem ordinariam, vel delegatam, si id subditus petat?

Respondet D. Thomas hic art. 4. ad 6. peccare Sacerdotem, qui non se præbet facilem ad licentiam subdito concedendam, vt alteri confiteatur; & eos qui sunt nimis solliciti vt conscientias per subditorum confessiones sciant, multis damnationis laqueum injicere, & etiam sibi ipsis. Idem dicit Opusculo contra impugnantes religionem cap. 4.

Fieri tamen potest, vt hoc non sit concedendum, quantum id raro contingat: & idcirco iudicio prudentis relinquitur.

D V B I V M III.

Utrum ob ignorantiam, malitiam, reuelationem confessionis proprii Sacerdotis, liceat subditis confiteri alteri sine eius facultate?

Respondeo & Dico Primò: Quando proprius Sacerdos est ita ignorans, vt nesciat communes peccati venialis & mortiferi distinctiones, licet subdito ipso Iure confiteri alteri. Habetur apertè in Canone *Placuit*, de Pœnitent. dist. 6. *Nulli Sacerdotum liceat quemlibet commissum alteri Sacerdoti, suscipere ad Confessionem sine eius consensu; cui se commisit prius, nisi pro ignorantia illius, cui prius confessus est.* Tenent hanc sententiam Siluester Verbo *Confessor*. 1. q. 6. citans Ostiensem, Paludanum & Archidiaconum. Idem tenet Adrianus de Confessione, dub. 3. pag. 268. Ioan. Medina cod. de Confessione. q. 33.

Aduerte tamen in hoc casu, si pœnitens potest facile adire eum, qui habet iurisdictionem ex commissione, vt sunt Religiosi priuilegio instructi, non posse confiteri ei, qui nullam habet Iurisdictionem. Ratio est: Quia hoc priuilegium confitendi alieno, non habenti vllam iurisdictionem in pœnitentem, solum conceditur in defectum alterius, qui aliquam iurisdictionem habeat: Nam Canones semper intendunt, vt seruentur, quantum commodè fieri potest. Idem quoque censendum in articulo mortis, quamuis aliqui contrarium putent.

Dices; Concilium Lateranense in Capit. *Omnino vtriusque sexus*, vetat cõfiteri alieno, nisi prius à proprio sacerdote veniam impetraueris: ergo derogat Canon *Placuit*, ac proinde ob ignorantiam proprii non licebit confiteri alieno.

Respondeo, Conciliū Lateranense in illo Capit. solum intendit determinare Ius Diuinum, assignando tempus, quo deberet impleri, vt apertè insinuat Concilium Trident. sess. 14. cap. 5. sub finem: non autem intendit Canonibus prioribus derogare;

V u u iij

30 Perenti subdito confiteri alteri, proprio Sacerdoti an negabit

31 Licet aliis adire, ob certam proprii Sacerdotis ignorantiam,

Ad hinc cauetur

derogare : alioquin id debuisset explicare, sicuti alibi facere confuevit. Adde, eum qui ex decreto Canonis potest confiteri alteri, verè habere licentiam à proprio Sacerdote, scilicet à Papa : vnde nullo modo facit contra statutum Concilij Lateranensis.

³² Dico Secundò: Probabilius est, ob ceteros defectus, proprii sacerdotis, v. g. quia est reuelator confessionis, sollicitator pudicitiae, excommunicatus, suspensus, non licere confiteri alieno non habenti iurisdictionem, nisi venià prius à proprio impetratà. Colligitur ex Canone, *Placuit*, qui generatim prohibet confiteri alieno; solumque casum ignorantiae excipit. Vnde tota ratio, cur non liceat, est; quia ius id non concedit, nisi ob ignorantiam, ne fortassis subditis detur occasio causas confingendi cur Proprio nolint confiteri.

Dices: Quid ergo tunc faciet poenitens, si Proprius ei neget hanc veniam; neque adsint priuilegiati; tempusque Communionis urgeat?

Respondeo: In hoc casu poterit sine confessione communicare contritus; quia censetur deesse copia Confessoris: vt docent Doctores citati, & colligitur ex supra dictis de Communione.

³³ Aduerte tamen Primò: Non esse improbabile, in his casibus poenitentem posse alieno confiteri, petità tamen prius à Proprio venià, etsi non impetratà. Docet expressè Medina supra quæst. 33. Siluester citans Hostiensem, Paludanù & Archidiaconum. Adrianus item Gabriel & Richardus dist. 17. Probant hi Auctores; Tum quia in his casibus non est minor causa, quam quando Proprius est ignorans: ergo sicuti Canon concedit ob ignorantiam, ita implicite censetur concedere in omni casu, vbi est par, vel maior ratio. Tum quia, vbi quis tenetur consentire, sufficit petita licentia, etsi non impetratà; argumento Capitis, *Licet*, de Regularibus & transeuntibus ad Religionem.

³⁴ Aduerte Secundò: Secundùm Statuta Diœcesis Leodiensis Cap. *De Penitentia & Confessione*, si filia confessionis cum suo Confessario peccauit, non posse eam sub pena excommunicationis illi confiteri, nec illum eam audire; sed teneri petere licentiam ad eundem alium: quam si ille nolit dare, potest alteri confiteri; vt docet Adrianus loco citato. Nam Synodus in hoc casu dat tacitam licentiam, hoc ipso, quo vetat confessionem fieri illi Sacerdoti. Eademque est ratio de socijs, fautoribus, & mediatoribus illius peccati.

DVBIVM. IV.

Quinam possint dare potestatem alteri confitendi?

³⁵ Respondeo: Omnes Proprii, siue omnes habentes iurisdictionem ordinariam in poenitentem, quamuis nondum habeant ordinem Sacerdotalem. Item omnes horum Vicarij, etiamsi temporales sint: quidquid dicat Siluester Verbo *Excommunicatio* 7. casu 14. dub. 11. Hoc tamen intellige, modò Proprii commiserint illis absolutà potestatem in Sacramentis administrandis, id est, modò sint Vicarij absolutè. Merè autem delegatus non potest committere hanc facultatem, seu subdelegare, nisi cum expressà licentia eius à quo est delegatus. Vide plura apud Nauarrum in *Can. Placuit*. num. 69.

Merè delegati.

Vicarij absolutè.

Proprii.

DVBIVM V.

Utrum Summus Pontifex possit Religiosis dare potestatem & iurisdictionem audiendi confessiones quorumuis secularium sine licentia Ordinariorum vel Parochorum, sicut poenitentes non teneantur eadem peccata Parocho confiteri?

³⁶ Respondeo: Erroneum est dicere Pontificem summum non posse Religiosis dare potestatem & iurisdictionem audiendi confessiones quorumuis secularium sine licentia Ordinariorum vel Parochorum: aut eos, qui confessi sunt eiusmodi Religiosis, teneri rursus eadem confiteri suis Parochis.

Probatur Primò: Ex Concilio Oecumenico Florentino, vbi sic dicitur: *Definimus Romanum Pontificem in vniuersum orbem tenere primatum, & esse verum Christi vicarium, totiusque Ecclesie caput, & omnium Christianorum Patrem, Doctorem, & ipsi in Beato Petro ascendenti, regendi, & gubernandi vniuersalem Ecclesiam, à Domino nostro IESU CHRISTO plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam gestis Oecumenicorum Conciliorum, & in sacris Canonibus continetur.* Vnde sic argumentor: Romanus Pontifex est caput totius Ecclesie, & omnium Christianorum pater & doctor, & habet plenam potestatem regendi vniuersalem Ecclesiam: ergo potest vbiq; locorum confessiones audire, ac proinde alijs, quos idoneos iudicauerit, eandem potestatem committere, cum enim non possit omnes per se immediatè pascere, necesse est vt possit alijs suas vices committere. Confirmatur, quia Episcopus absque licentia sui Parochi potest dare potestatem audiendi confessiones in parocchia: ergo multò magis Pontifex absq; consensu Episcopi: quia Pontifex plenam habet potestatem regendi Ecclesiam, idque à Christo immediatè; Episcopi autem habent limitatam, & quidem dependentem à Pontifice, vt docet Dominicus Soto in 4. dist. 20. q. 1. a. 2. Caietanus de Auctoritate Pontificia & Concilij cap. 3. Gabriel in Canonem lect. 3. & alij plerique. Et quamuis haberent independenter à Papa, tamen fide tenendum est Papam habere tantam vel maiorem in subditos Episcopi, quam ipse Episcopus: ergo sicut Episcopus potest dare potestatem audiendi confessiones sine licentia Parochi, ita Papa sine licentia Episcopi. Quod etiam verum esset, quamuis solum parem haberet potestatem: nam si essent duo qui parem haberent potestatem in subditum, posset vterq; absque licentia alterius audire ipsius confessionem, ac proinde id committere alicui tertio.

Probatur Secundò: Ex decretis Pontificum. Pontifices enim qui hæc priuilegia Religiosis concesserunt, sunt plurimi & doctissimi; vt ostendit Dominicus Soto in 4. dist. 18. q. 4. art. 3. idque à tempore Alexandri IV. circa annum Domini 1218. Solum adferam verba duorum vel trium qui hanc veritatem expressè definirunt. Ioannes XXII. circa annum 1316. in Extrauag. quæ incipit, *Vas electionis*, re diligenter excussa à viris doctis, & adhibito Cardinalium concilio, condemnat hunc articulum Ioannis à Poliaco Doctoris Parisiensis, tanquam fallum & erroneum: *scilicet edito Concilij Generalis Lateranensis, Omnis priusque*

Id negare, est erroneum.

Papa est Proprius Pastor vniuersalis Ecclesie.

Potest vbiq; que omnia audire confessiones per se vel per statutos, à se.

Decreta variorum Pontificum.

Alexand. 1218.

Ioannes 22 damnat errores Ioannis à Poliaco.

sexu,

sexus, nec Romanus Pontifex, imò nec ipse Deus potest facere, quòd Parochiani non teneantur omnia peccata sua semel in anno proprio sacerdoti confiteri. Similiter & ille: Confessi Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones, tenentur eadem peccata qua confessi fuerunt, iterum confiteri proprio sacerdoti. Item definitur esse Doctrina vera & Catholica: Quòd illi, qui predictis Fratribus confitentur, non magis teneantur eadem peccata confiteri iterum, quam si ea alias confessi fuissent eorum proprio sacerdoti, iuxta Concilium Generale. Idem definitum erat aliquot annis antè à Benedicto XI. anno 1304. in Extrauag. quæ incipit, *Inter cunctas*: ubi inquit, *Electi ab istis Fratribus (id est, expositi à Superioribus) ad audiendas confessiones & penitentias iniungendas, libere, auctoritate Apostolica, absque licentia diocesanorum, & aliorum Prælatorum inferiorum, exemptorum & non exemptorum, quibus subsunt qui ad confitendum accedunt, audiant eos peccata sua confiteri volentes, absoluant, ipsæque penitentias salutes iniungant, &c.* Idè statuitur à Clemente VI. in Concilio Viennensi, Clementina Dudum, de Sepulturis. Omitto Bonifacium VIII. Urbanum IV. Clementem IV. & alios plurimos, qui idem statuerunt. Omitto denique Paulum III. Gregorium XIIII. & Gregorium XV. qui Societati nostræ idem priuilegiū concesserunt.

Benedictus 11.

Clemens 5.

Urbanus 4.

Clemens 4.

Paulus 3.

Gregor. 13.

Gregor. 14.

38 Probatur Tertio: Quia eadem est sententia cõmunis DD. & Canonistarum, exceptis paucissimis, qui ab omnibus iam pridem sunt explosi, vt ostendit Dominicus Soto lib. 4. dist. 18. q. 4. a. 3. Eadem egregiè tuetur D. Thomas in Opusculo contra impugnantes Religionem cap. 4.

39 Sed Obijciunt Capitulum, *Omnis vtriusque sexus, vbi Concilium magnum Lateranense statuit, vt omnis vtriusque sexus omnia sua peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno proprio Sacerdoti, vel alieno, prius tamen à proprio Sacerdote impetratã veniã.*

Responsio ad Capitulum. *Omnis vtriusque sexus.*

Ad hoc multis modis responderi potest. Primo, Pastores & Ordinarios nõ murmurare, quòd subditi ad eos non veniant in Paschate: sed quòd singulis hebdomadis, vel mensibus non veniunt: quod tamen Concilium non iubet, sed tantum iubet vt semel in anno suo proprio confiteantur.

Respondeo Secundo: Eos qui confitentur Religiosis etiam in Paschate, nec aduent suos Parochos, non facere contra hoc decretum: quia ex facultate concessã à proprio, confitentur illis. Proprius enim Sacerdos in hoc decreto non tantum est Parochus, sed etiã Episcopus, & maximè Papa: nempe omnis is, qui ordinariam in subditos potestatem habet, vt exponit D. Thomas capite illo 4. Domin. Soto supra, & ceteri omnes DD. Non enim intendebat Concilium Episcopis & Pontifici adimere potestatem audiendi confessiones, aut concedendi veniam subditis Parochorum confitendi alteri: hoc enim est absurdissimum, cum Episcopi & Pontifex maiorem iurisdictione habeant in subditos Parochorum, quàm ipsi Parochi: præsertim cù Episcopi vnã cù Pontifice hoc decretum fecerint. Vnde per illud *Proprium*, non intendit Concilium excludere Episcopum vel Pontificem, sed solum *alienum*, id est, non habentem ordinariam potestatem. Itaque cum Papa, qui est Ordinarius omnium pastor tribuat Religiosis potestatem, qui eis confitentur, confitentur ex licentia proprii.

Respondeo Tertio: Etiam si per proprium Sacerdotem intelligeretur Parochus, tamen is qui confiteretur Religioso, non faceret contra decretum: quia tunc intelligendum esset decretum, hoc modo, Vt non confiteatur quis alteri sine licentia Proprii, vel habentis omnem auctoritatem, quã habet Proprius, vt rectè declarat S. Antonius 3. part. tit. 17. c. 9. Atqui Episcopus & Papa habent omnem auctoritatem, quam Proprius: ergo. Et Confirmatur: quia tunc posset subditus confiteri Episcopo vel Papæ, nec faceret contra intentionem Concilij: ergo etiam ei, cui Episcopus vel Papa suas committeret vices. Quando igitur seculares confitentur in Paschate Religiosis habentibus priuilegium, omnino faciunt iuxta intentionem Concilij. Plura alia argumenta minuta videri possunt apud Diu. Thomam Opusculo de Cap. citato.

D. V. B. I. V. M. V. I.

Vtrum expediat Ecclesie, & saluti animarum, vt Pontifex concedat Religiosis hanc potestatem & iurisdictionem audiendi confessiones quorumuis secularium, sine licentia Ordinariorum vel Parochorum?

Respondeo: Omnino expedit Ecclesie & saluti fidelium, vt Papa hanc potestatem Religiosis concedat: & vt ipsi Religiosi eã prudenter vtantur. Et contrarium dicere, est temerarium & periculosum, ne dicam erroneum.

Probatur Primo: Quia quod tot Pontifices facti, adhibito consilio suorum fratrum Cardinalium & Episcoporum, & aliorum virorum doctõrum, iudicarunt esse faciendum ad Ecclesie utilitatem, dicere esse inutile, vel etiam noxium, & maioris boni impeditiuum, summa temeritatis est & arrogantię: præsertim cum in ijs quæ ad gubernationem Ecclesie vniuersalis pertinet, Papa habeat singularem Spiritus sancti assistentiam. Item dicere, *Non rectè fieri, quod Ecclesia vniuersalis seruat, insolentissima insania est*, inquit D. Augustinus epist. 118. Atqui per vniuersalem Ecclesiam seruatur vt Religiosi audiant confessiones absque licentia Parochorum, idque approbante toto populo Christiano.

Probatur Secundo: Quia in Extrauag. *Vas electionis*, dicitur quòd assertio articulorũ Ioannis à Poliaco redundare poterat in perniciem multarũ animarum: quia videlicet per eam fuisset impeditum remediũ, quod toti Ecclesie per hanc facultatem Religiosis concessam, preparatum est.

Probatur Tertio: Si non expedit Ecclesie hanc potestatem Religiosis concedi, ergo Papa non potest eam concedere. Nam Papa non habet potestatem concedendi id, quòd nunquam Ecclesie potest esse expediens. Ergo si Religiosos habere hanc potestatem nunquam est Ecclesie expediens, (semper enim erunt eadem Parochorum querelæ) certè Pontifex non habet potestatem huius facultatis cõcedendæ: quod superiore dubio tanquam error refutatum est.

Probatur Quarto: Quantum Ecclesie expedierit hanc facultatem dari Religiosis, patet ex fructu. Ante excitatum Ordinem S. Dominici & S. Francisci, fideles valde erant languidi in charitate & fide, & moribus valde erant deprauati: sed illo

40

40

Ab auo. ritate Pontificum.

41

Ab viliis.

sed illorum industriâ per conciones & confessiones, Deo adiuuante, rursus fuere excitati ad morum emendationem, & ad feruorem ac Sacramentorum usum. Similiter nostris temporibus quàm rarus fuerit Sacramentorum usus, multi recordari possunt; & quantum per Societatem nostram vbique locorum fuerit hic usus saluberrimus reuocatus, videmus. Itaque cum tam eximios fructus videamus produxisse hanc concessionem, non possumus dubitare quin fuerit Ecclesiæ valdè conducibilis. Itaque non est quòd Parochi querantur. Non enim rarius modò confitentur illis subditi, quàm antè, quando solùm singulis annis confiteri assueuerant; & modò subditos habent meliores.

A, necessitate.

Probatum Quintò: Fieri nequit vt Pastores vel quintam partem audiant eorum qui singulis hebdomadis Religiosis confitentur: nam in multis locis occupantur decem vel duodecim, & plures Confessarij, idque toto die, quando Pastores valdè sunt occupati in officijs diuinis & concionibus. Itaque non debent conueniri, sed gaudere quòd Deus illis tam insigne auxilium miserit, per quod sibi persuadere debent suos subditos melius adiutum iri, quàm per ipsos. Sed

42

1. Obiectio, quòd Pastor debeat cognoscere vultum sui pecoris.

Obijciunt Primò: Prouerb. 27. v. 23. ait Sapientis, Diligenter agnosce vultum pecoris, tuosque greges considera. Sed Pastor nò potest vultum pecoris sui cognoscere, nisi per confessionem.

Responsio D. Thomæ.

Respondet Primò: Illud argumentum etiam ab impugnantibus Religiosos olim tempore D. Thomæ obijci solet: ad quod ipse sic respondet.

Dicendum, quòd de bonitate & malitia alicuius constare potest alicui, non solùm per propriam confessionem, sed etiam per sententiam Superioris de eo latam. Vnde si Episcopus subditum sacerdotis absoluat vel per se, vel per alium cui ipse commisit, Sacerdos Parochialis ita debet se reputare cognoscere eum, ac si sibi confessus esset, &c.

Responsio Auctoris, de duplici cognitione pecoris.

Respondet Secundò: Duplicitè potest cognosci vultus pecoris: Primò, Per confessionem ipsius. Secundò, Per diligentem considerationem morum & conuersationis eius. Priore cognitione Sacerdos tantùm debet vti in confessione, iniungendo penitentiam, & dando bonum consiliū. Postea autem ita se gerere debet, ac si nihil omnino sciret. In quo nò rarò deprehenduntur peccare seculares Sacerdotes, qui postea ratione huius cognitionis sunt liberiore tum in reprehendendo, tum in imperando suis subditis, tum in colloquendo & conuersando; quod sanè vix fieri potest sine implicita sacratissimi sigilli violatione. Vnde fit vt seculares reformident illis confiteri. Debent autem sibi persuadere. Religiosos benè fungi suo officio, & prestare totum quod ex hac scientia prestari debet: non enim oportet ea vti extra confessionem. Posteriore autem cognitione vultus sui pecoris (de qua Scriptura potissimùm loquitur) debet vti extra confessionem. Sed ne eam ipse habeat, Religiosi non impediunt. Hęc enim non ex confessionibus, sed ex morum consideratione capienda est. Itaque Religiosi nullo modo impediunt cognitionem qua Pastores suas oues dirigunt; sed illos magna parte oneris sui leuant.

Frequenter confitentes facile ex moribus cognoscuntur.

Respondet Tertio: Eos qui crebrò confitentur esse tales vitæ & moribus, vt facillè vultus eorum cognosci possint: nam eorum probitas & bona vita statim fit omnibus conspicua. Vnde etiam Parochi non debent multum de illis esse solliciti;

sed de ijs potius qui Religiosis non confitentur; sed suo tantùm Parocho, vel eius Cappellano semel aut bis in anno. Præterea peto, an modò minus possint cognoscere vultum pecoris sui, quando subditi sæpè confitentur Religiosis, quàm antè, quando vel ipsis confitebantur vel Cappellano, idque semel vel bis in anno, sicuti olim facere solebant? sanè, non possunt id dicere. Nam Religiosi non abduxerunt oues à Parochis; sed cum antè nec ad Parochum, nec ad alium quemquam accederent, ceperunt accedere Religiosos, eorum sanctitate & eruditione allecti. Itaque nihil Parochis est detractum: sed sine illorum labore ouibus eorum est consultum.

Religiosi valde idonei sunt subditijs.

Respondet Quartò: Sæpè Parochus vnus habet duo, tria, quatuor, quinque, octo, decem milia ouium. Quomodo tunc potest cognoscere vultus omnium per confessionem, cum vix quinquagesimam vel centesimam partem audire possit, & illis temporibus, quibus debent audiri, ipse sit maximè occupatus circa diuinum Officiū & conciones? Vnde nunc quosuis Cappellanos exponere solent, per quos sanè non magis suas oues cognoscunt, quàm per Religiosos. An fortè Sacellanis suis, eorumque eruditioni, & probitati, & diligentia magis fidunt, quàm Religiosorū? Sed passim constat quàm nò rarò in ijs aliquid ad hoc munus comprimere necessarium desideretur, qui ab illis exponuntur. Religiosi autem, præsertim Societatis nostræ nunquàm confessionibus audiendis adhibentur, nisi diu antè casibus conscientia operam dederint: de quibus etiam crebrò fiunt collationes in singulis Collegijs; & postea per totam vitam in hoc genere studij se exercent, vt valdè insignes euadant. Sanè par non est vt Parochi suis illis Sacellanis magis confidant, quàm Religiosis, quibus illi scientia, virtute, & moribus multò inferiores sunt.

43
2. Obiectio quòd Parochi ordinariam in suos subditos habeant iurisdictionem.

Obijciunt Secundò: Parochi & Episcopi habent potestatem ordinariam in plebem suam: eam enim regunt ex officio tanquam rationem reddituri pro ea: ergo nemo debet habere potestatem delegatam nisi ab ipsis: ac proinde Religiosi sine illorum licentia non debent confessiones audire.

Responsio Auctoris.

Respondet: Hanc obiectionem multis rationibus confutat D. Thomas, ostendens Episcopū posse delegare quemuis, qui confessiones audiat, sine licentia Parochi, ac proinde multò magis Summum Pontificē. Dico ergo omnem potestatem qua est in Parochis & Episcopis, eminentius & plenius esse in Summo Pontifice, vt patet ex definitione Concilij Florentini suprà num. 36. citata, vbi dicitur habere plenitudinem potestatis in vniuersalem Ecclesiam, id est, in totam Ecclesiam, simul & in singula membra eius. Soli enim Petro, cuius successor est Pontifex, dictum est, *Pasce oues meas*: vbi Dominus ei potestatem omnem tradidit quæ opportuna est ad regendum totum ouile Christi, & quæuis qui est ouis Christi; vt Catholici egregie probant contra hæreticos. Cum enim ait, *Pasce*, significat se dare potestatem ad omnè actum pastorem: cum autem ait, *Oues meas*, subiicit ei omnes fideles & singulos, etiam Episcopos. Et hęc est sententia communis sanctorum Patrum, vt rectè Bellarminus docet lib. 1. de Pontifice cap. 15. & 16. Vnde si Parochi & Episcopi possunt alicui committere suam iurisdictionem, multò magis Papa id potest sine licentia ipsorū, à quibus nulla

nullo modo dependet, cum tamen illorum potestas dependeat ab ipso. Neque metuerent se reddituros rationem, si non omnia per se fecerint: sed potius cogitare debent se rationem districte Deo reddituros, si non omnia praesidia opportuna quaesierint, quibus plebs iuuari possit, & maxime si salutare modis iuuandi a summo Pastore institutos, impederint.

44 Sed inquiet aliquis, quamuis Pontifex possit, non tamen conuenit ut det illis potestatem sine licentia Parochorum, vel saltem Ordinariorum: quia hi melius norunt quid expediat suae plebi, quam Pontifex qui longe abest. Deinde, Pastores & Praelati essent in maiori auctoritate apud plebem.

Respondeo: Non est dubitandum quin Pontifices grauissimas rationes habuerint, cur non iudicauerint expediens hanc licentiam omnino ab Episcopis & Parochis pendere. Et quidem quod ad Parochos attinet, multae possent occurrere causae & occasiones, ob quas nollent hanc licentiam Religiosis dare. Primo, si Parochus non sit probus. Secundo, si Religiosis ob aliquam causam infensus, quod non raro accidit. Tertio, si cum quibusdam ex suis liberius, vel minus pudice egerit. Quarto, si curiosus in factis suorum exigendis, praesertim muliercularum: ob has enim maxima ex parte querelae talium contra Religiosos oriuntur. Quinto, si putaret suam auctoritatem alterius eruditione & prudentia minuendam apud subditos. Denique experientia docet multas quotidie offensiones incidere, ob quas, si in illorum potestate esset, Religiosos & confessiones & conciones prohiberent, atque ita impediretur fructus animarum, qui in Ecclesia ex Religiosorum industria percipitur. Similia multa possunt obuenire Episcopis, ut quotidiana experientia docet, & patet ex Clementina Dudum, supra allata.

45 Hae & similia sapientissimè perpèdentes Pontifices, noluerunt hanc licentiam ex Praelatorum vel Parochorum voluntate penitus dependere. Melius enim illi sciunt quid Ecclesiae vniuersali expediat, cum à Spiritu sancto in ea gubernanda singulariter dirigantur, quam Episcopi vel Parochi. Idem implicite probat Concilium Tridentinum sess. 23, c. 15. Ut enim Regulares possint audire confessiones secularium, tantum requirit ut ab Episcopo approbentur tanquam idonei, non autem ut accipiant ab eis facultatem. Et cum Martinus V. ob multas Praelatorum querelas statuisset, ut Religiosi etiam ab ipsis licentiam peterent, nihilominus addidit, Si nollent eam dare, nec possent tamen ostendere praesentatum esse insufficientem, se illam ex tunc dare, & praesentatum liberè posse confessiones audire. Itaque haec licentiae petitio solum erat species honoris: nam si ipsi nollent concedere, Papa ipso facto illam concedebat. Sed quia animaduersum est hinc maiores nasci molestias & turbationes, ideo statuerunt cum Concilio Tridentino ut solum petatur ab illis iudicium de aptitudine: quod etiam alij Pontifices ante Martinum V. statuerant.

Quod ad auctoritatem Praelatorum & Parochorum attinet, ea multo maior erat apud plebem, si ostenderint, se valde esse coniunctos cum hominibus Religiosis, eorumque ministeria sibi esse grata, eosque apud plebem commendauerint. Sic enim seculares concipient opinionem probitatis & zeli animarum de suis Superioribus, uti

experientia in multis vidimus. Omitto alia quae ad hoc argumentum responderi possent.

Obijciunt Tertio: Ratione istarum confessionum fieri ut Paroeciae diebus Dominicis & festis à multis deferantur, qui adeunt Religiosorum Ecclesias, nec veniunt ad summum Sacrum.

Respondeo Primo: Confessiones solum impediunt eos qui tunc temporis confitentur, qui pauci sunt: reliqui omnes, qui pridie, vel eodem die ante illud tempus confessi sunt, non impediuntur.

Respondeo Secundo: Si summum Sacrum debita deuotione & modestia perageretur in plerisque locis, sine dubio plures accederet. Sed saepe id vidimus & celebrari & cantari sine vlla penè reuerentia. Vnde etiam factum, ut qui interessent, fabulas miscerent; & si quis orationi vacare vellet, eum impedirent. Et haec plerumque causa cur multi suas paroecias minus frequentent.

Respondeo Tertio: Subditos non teneri diebus festis & Dominicis in suis paroecijs Sacrum audire: sed satisfacere praeepto Ecclesiae si apud Religiosos Sacrum audiant, quamuis etiam non confiteantur, modò id non faciant ex contempu proprio Sacerdotis, ut declarauit Leo X. ut refert Nauarrus cap. 21. Enchiridij num. 5. estque haec communis sententia Doctorum, ut ex eodem colligitur. Vnde etiam Concilium Tridentinum sess. 22. in decreto de obseruandis & cuitandis in celebratione Missae, non dicit, ut Episcopi iubeant, sed ut moneant populum ut frequenter ad suas paroecias, saltem diebus Dominicis & maioribus festis accedant. Nec Praelati possunt illos compellere, ut rectè docet Siluester verbo Missa, q. 5. & nuper respondit Congregatio Cardinalium deputata ad resolutionem dubiorum incidentium circa Concilium Tridentinum; ut patet ex responsis eorum in hoc Caput sessionis 22. Quod si Concilium non vult cogi eos qui non confitentur nec communicant: multò sanè minus eos vult cogi, qui apud Religiosos confitentur & communicant, & duas vel tres Missas audiunt: hi enim longè melius faciunt, quam si totum summum Sacrum sine confessione & communione audirent.

Obijciunt Quarto: Dum Religiosis permittitur haec facultas, multi possunt suos Parochos decipere, & ab illis petere Communionem cum non sint confessi, mentientes se esse confessos Religiosos.

Respondeo Primo: Rarò id posse accidere: nam hic agimus de confessionibus extra tempus Paschatis. Extra autem hoc tempus tales maligni homines non veniunt ad Pastores ut petant communionem. Tempore autem Paschatis Parochi non possunt audire omnes per seipso, vnde eidem deceptioni sunt obnoxij.

Respondeo Secundo: Nisi Parochus constet, vel valde sit probabile illum mentiri, debet illi credere; ut inquit D. Thomas cap. 4. Opusculi contra impugnantes Religionem. Et Benedictus XI. in Extrauag. Inter cunctas: Sacerdotes, inquit, ipsis taliter confessis & absolutis astricti sunt ministrare Eucharistia & extrema Vnctionis Sacramentum. Super confessione autem facta Fratribus memoratis cum de contentis solius prauidicio (si falsum dicat) agatur in iudicio anima seu Penitentia foro, stabitur simpliciter verbo eius, qui sacramenta praedicta perit, & dicit se Fra-

Causae ob quas independenter à Parochis haec licentia per Papam concedatur.

Tridentinum implicite id probat.

Martinus V.

46
3. Obiectio à neglecto summi Sacri.
Responso.

47
4. Obiectio, à quorundam deceptione.

Responso.

se Fratrum confessionem. Itaque nihil est cur hic Pa- rochi sint valde anxij. Aliæ sunt obiectiones, sed minoris momenti.

D V B I V M VII.

An is, qui habet potestatem eligendi Confes- sorem, possit eligere quemvis?

48 Elige ap- Probaturum.

R Espondeo: Ante Concilium Trid. poterat eligi quivis idoneus: Quia non erat necessa- ria approbatio Episcopi. Post Concilium nemo potest eligi, nisi approbatus ab Ordinario; vt patet sess. 23. cap. 15. Excipiuntur tamen Religiosi, qui possunt eligere etiam non approbaturum; vt su- præ nu. 16. dictum est.

49 Quinam possint eli- gere sibi Confessorē

Petes: Quinam Iure, vel Consuetudine, vel Priuilegio possint sibi eligere Confessorem?

1. Episcopi & Prælati.

R Espondeo Primò: Episcopi, & Prælati su- periores & inferiores Iure possunt sibi Cōfessores deligere: vt patet ex Capitulo Ne pro dilatione, de Pœnitentijs & remissionibus. Tales sunt Gene- rales Ordinum, Prouinciales, Guardiani, Priores, Præpositi, qui nomine Prælatorum censentur, ed quòd habeant iurisdictionem fori exterioris in suos. Vide Sotum dist. 18. quæst. 4. art. 2. Con- fessor ab his electus potest eos absoluerè à qui- busuis casibus & censuris, à quibus ipsi suos sub- ditos, idque etiam extra Prouinciam; vt docet D. Antoninus 3. part. tit. 17. cap. 2. §. 2.

Non tamen Abbatisa.

Hoc tamen Priuilegio non gaudet Abbatisa, quia propriè non habet Prælaturam, cum careat clauè iurisdictionis. Vide Siluestrum Confessor. 1. quæst. 8.

2. & 3. Ca- dinales, co- rumq; do- mestici.

Secundò: Possunt id omnes Cardinales ex cō- suetudine.

Tertiò: Familia Cardinalis potest ipsi confite- ri, vel alteri ab ipso constituto.

4. Sacerdo- res.

Quartò: Parochi, Canonici, & omnes simpli- ces sacerdotes ex consuetudine possunt eligere Confessorem. Neque hoc fuit reuocatum per Cō- cilium Tridentinum, quia Concilium tantum statuit, vt nemo eligatur, nisi approbatus.

5. Impera- tor, Reg- &c.

Quintò: Imperator, Reges, & Reginae ferè semper habent Priuilegium. Familia ipsorum de- bent confiteri Parochis, vel habentibus iurisdic- tionem ex commissione.

6. Vaga- bundi, Pe- regrini, Viatores.

Sextò: Vagabundi (id est, qui nullam certam habent sedem) Peregrini, & Viatores possunt quouis loco confiteri, vbi deprehensi fuerint. De Vagabundis est communis sententia; quia nullum certum habent Parochum. De Peregrinis & Via- toribus docet Caietanus verbo Absolutio, & Sotus loco citato. Ratio est; quia Eugenius IV. viua vocis Oraculo dicitur declarasse hos censendos esse tanquam incolas loci, vbi deprehensi fuerint, vt refert Caietanus. Vnde sequitur posse eos, per- inde atque incolas, absolui etiam à casibus & cen- suris in suâ diocesi referuatis, modò ibi referuati non sint; quia non est habenda ratio diocesis vn- de veniunt, sed vbi existunt dum volunt confite- ri; idque non solum tempore Paschatis, sed etiam quouis alio tempore; modò nihil fiat in fraudem; vt consuetudo declarat. Sed Studiosi, & alij, qui ad tempus habitant in aliquo loco, subiiciuntur Parochis locorum.

Studioli.

D V B I V M VIII.

Quanta requiratur scientia in Confessario?

R Espondeo: Vt sit Perfectus, debet esse Theo- logus & Canonista, & nosse decreta Syno- dalia ad confessionem aliquo modo pertinentia.

50 Vt sit Per- fectus.

Vt autem sit Sufficiens, debet Primò, scire di- stinguere quæ peccata sint mortifera, quæ venia- lia, etsi in particulari id nõ semper possit iudicare; v. g. primos motus non esse peccatum mortale, nec etiam omnem negligentiam in illis depellendis. Non solum externum opus esse peccatum, sed etiam internum consensum. Nõ omne furtum esse mortale, nec omnem superbiam &c. Secundo, nosse circumstantias peccatorum mutantes speciem. Tertio, debet aliquid scire de restitutione bono- rum & famæ. Quarto, excommunicationes visita- tiores. Quintò, casus referuatis, & reiterandæ con- fessionis. Sextò, visitatores contractus. Septimo, debet nosse modum interrogandi penitentem. Octauò, debet scire quædam particularia pertinen- tia ad singulos status.

51 Vt sit Suffi- cients.

Nota autem Primò, debere hæc scire non perfectè, sed mediocriter, ita vt sciat dubitare. Secundo, excusari ignorantiam Confessarij, quã- do in articulo mortis non est alius. Item in con- fessione venialium. Denique quando penitens est doctus, & bonæ conscientia. De quo vide Na- uarrum cap. 4. num. 8.

D V B I V M IX.

Vtrum Confessarius teneatur monere peniten- tem, quando videt illum versari in igno- rantia iuris vel facti? V. g. Si aduertat & sciat illum contraxisse matrimonium in gradu probi- bito, sed bona fide. Item retinere bona fide alienum.

A drianus quæst. 5. De Confessione dub. 7. exi- stimat, quando ignorantia est Iuris diuini, siue sit vincibilis, siue inuincibilis, debere eum moneri: quando autem ignorantia est Iuris hu- mani, si quidem sit vincibilis, debere moneri; si autem inuincibilis, non debere. Probat ex cap. 20. Actor. v. 26. Mundus ego sum, ait Paulus, à sanguine omnium; nõ enim subterfugi, quo minus annun- tiarem vobis omne consilium Dei: & ex Ambrosio serm. 84. Malo vos contumacia causas reddere, quam me negligentia. Verum

52 Opinio adriani.

Dico Primò cum Dominico Soto dist. 18. q. 2. art. 4. & Ioanne Medina codice de Confessione q. 19: Quando ignorantia est crassa, siue contra Ius humanum, siue contra Ius diuinum, Confes- sarius teneatur penitentem monere. Ratio est, quia ille in illâ ignorantia constitutus peccat quoties- cumque ex illâ operatur: nam ignorantia crassa non excusat.

53 Crasce ig- norantem instruat Cō- fessor.

Dico Secundo: Si penitens ostendit se dubi- tare, vel habere scrupulum, vel etiam roget Con- fessarium, teneatur illum Confessarius circa hoc instruere: nam in tali casu tacere, est interpretatiuè consentire; cum ex officio teneatur.

54 Similiter dubituro vel rogamem.

Dico Tertio: Quando ignorantia est inuinci- bilis, id est, inculpata: & Sacerdos sperat se in- struendo profuturum, nec est metus notabilis in- commodi, teneatur illi instruere. Probat: Quia Confessarius ex officio est doctor, consultor, &

55 Item incul- pabiliter ignorantem si spes pro- fitetur.

medicus

medicus poenitentis: ergo tenetur illum instruere, optima consulere, & omnino curare.

Nisi profectus sic exiguus.

Aduerte tamen, si commodum, quod speratur, non est magni momenti, probabile est Confessionem non teneri monere: vt, si aduertat poenitentem post diligens examen oblitum alicuius peccati, vel ex ignorantia inculcata commississe aliquid contra legem diuinam vel humanam, neque est timendum rursus idem commissurum. Ita Medina codice de Poenitentia quaest. 19.

Et poenitens se recuset excusari.

Vnde sequitur Confessorem non teneri interrogare poenitentem quando videt illum satis diligenter se excusasse, quamuis forte aliqua alia esset eliciturus.

53 Inculpare ignorantem, Confessor ne monear, si meretur graue incommodum.

Dico Quarto: Si putat non profuturam suam monitionem, vel secururam graue incommodum, & poenitens laborat ignorantia inculcata, siue ea sit Iuris siue facti, & siue Iuris diuini siue humani, non debet monere. Ratio est: quia illa monitio esset inutilis, imò perniciosa, vnde nec in correptione fraterna simili casu est adhibenda.

Respondetur argumentis Adriani.

Ad argumenta Adriani: Respondeo, Illa loca intelligi de Concionatoribus qui non debent celare veritatem propter aliquos, qui offenduntur: nam loquuntur communitati, in qua semper sunt aliqui quibus proderunt.

DVBIVM X.

Ad quid tenetur Sacerdos, quando ex ignorantia, vel negligentia commisit aliquem errorem in audienda confessione?

54 Si male mouit, vel non mouit circa restitutionem, quid faciet Confessor.

Respondeo & Dico Primo: Si dixit poenitentem, non esse restituendum, cum tamen esset: vel contra, esse restituendum, cum non esset; tenetur postea monere poenitentem erroris: vel si non potest, tenetur de damno, si tamen culpa lata intercessit. Ratio est, quia est causa damni.

Aduerte tamen: Non teneri de damno, si culpa fuit leuis. Ratio est, quia confessio & absolutio solum sunt in commodum poenitentis: ergo Sacerdos non tenetur de culpa leui vel leuissima à se commissa circa poenitentem.

Nec obstat, quod aliquod stipendium accipiat: quia ratione huius, non tenetur maiorem curam adhibere: nam etiam si non acciperet, teneretur tamen ex officio seu ex iustitia.

Notandum tamen; Si solum omisit monere

poenitentem de restitutione, non teneri restituere parti. Ratio est; quia Sacerdos non habet obligationem ex officio vel iustitia, nisi ad ipsum poenitentem; non autem ad creditorem poenitentis.

Dico Secundo: Si non absoluit à censuris, vel non valide ab ipsidem absoluit defectu potestatis, potest, & debet eum postea absolueri, quamuis absentem, impetrata potestate, si eam non habebat. Probatur, Posse: quia non requiritur praesentia, aut bona dispositio, aut intentio poenitentis, vt absoluator à censuris. Quod autem debeat, Probatur: tum quia tenetur ex officio illum plene absolueri; tum quia haec absolutio est poenitenti valde expediens, & multorum iudicio necessaria, vt fiat particeps suffragiorum Ecclesiae, imò vt sit capax absolutionis à peccatis (quamuis contrarium verius sit): ergo, cum facere possit, tenetur. Idem dico, si ille poenitens erat Sacerdos illegitimus irregularitate, suspensione, vel interdicto.

55 Quid, si male absoluit circa censuras.

Dico Tertio: Si poenitentem non absoluit à peccatis, vel non valide defectu iurisdictionis, vel, non potuit à casibus reseruatis, si quidem praesentem habere, & sine notabili incommodo monere possit, tenetur monere. Ratio est, quia ex quo poenitens illi est confessus, Sacerdos ex officio tenetur curare, vt legitime absoluator. Hic tamen Aduerte, Sacerdotem non posse agere cum poenitente de ijs quae ad praeteritam confessionem pertinent, nisi prius petita venia poenitentis.

56 Quid, si non absoluit, vel non valide absoluit à peccatis?

DVBIVM XI.

Quid faciet Confessor, quando poenitens est contrariae opinionis? v.g. Poenitens putat contractum aliquem esse licitum, Confessorius vero illicitum?

Respondeo: Si opinio poenitentis est probabilis, etsi Confessoris sententia sit probabilior, tenetur nihilominus eum absolueri, si eius confessionem audiuit, nec potest in suam sententiam pertrahere. Ratio est; quia poenitens non peccat sequendo opinionem probabilem, ac proinde non potest ei negari absolutio. Secus est, si nullo modo sit probabilis. Vide quae diximus 1. 2. quaest. 19. art. 6. dub. 7. num. 51. & praecedentibus, vbi agitur, vtrum in operando possimus sequi opinionem probabilem, omisa ea, quam iudicamus probabiliorum.

57

QVÆSTIO IX.

De Qualitate Confessionis.

ARTICVLVS I.

Vtrum Confessio possit esse informis?

Quid sit Confessio informis.

Notandum est Primo: Confessionem informem hic vocari verum Sacramentum Poenitentiae, quod tamen non confert gratiam ob aliquod impedimentum: sicut

Baptismus informis est verum Sacramentum non conferens gratiam ob indispositionem suscipientis: de quo multa diximus supra quaest. 69. art. 9. & 10.

Notandum Secundo: numquam posse peti, aut dari absolutionem à peccatis, quando constat dispositionem poenitentis esse insufficientem ad consequendam gratiam per Sacramentum: hoc enim esset sacrilegium contra sanctitatem, & expressam significationem Sacramenti. His positis:

Prior sententia est, nullam dari confessionem informem. Ita Ioannes Maior dist. 17. quaest. 3. & 9. Gabriel ibidem quaest. 1. artic. 3. Adrianus quaest. 5. de Confessione dubio 5. Ioannes Medina quaest. 20.

Quidam negant eam dari.

Xxx

Verum